



U, 24.

2. 498.







D. O. M. A.  
ORATIONES  
INTRODUCTO-  
RIÆ TRES,

*In illustri Gymnasio Saxonico Cobur-  
gi, cum in illud iussu & auspiciis Illusterrimi Principis  
& Dn. Dn. IOHAN. CASIMIRI, Ducis  
Sax. Landgr. Tur. March. Misn. in-  
troduceretur Director,*

ANDREAS LIBAVIUS M. D. P. C.  
Rotemburgo ad Tubarim evocatus:

Habitæ A


REVERENDIS ET DOCTISSIMIS  
viris Dn. MELCHIORE EPISCOPO  
Superintend. Provinciali:

ET Dn. IOHANNE GERHARDI S.T.D.  
SUPERINTEND. HELDBURGICO:  
tandem etiam à novo Directore.

Die xx. Martii, Anno 1607.

Coburgi, Typis Ducalibus, per Iustum Hauck impressæ.

A. M. O. D.  
O. L. A. T. I. O. N. E. S  
I. N. T. R. O. D. U. C. T. O  
R. I. A. T. R. A.



SCHOLARCHÆ GY.  
MNASII ET SCHOLE

CASIMIRIANÆ DOCENTIBVS, DISCEN-  
TIBVSQVE, ATQVE ETIAM CÆTERIS LI-  
TERATIS COBURGI VIVENTIBUS.

S.

**A**udandos, in principio octavi Po-  
liticorum Aristoteles censet, Lacedæmonios, quod  
plurimam circa pueros, eamq; publicè diligentiam  
adhibuerint. Quæ enim ad communem finem u-  
tilitatemq; civitatis spectant, in eis oportet omnes communiter  
à puerō informatos esse, communiq; cura ad virtutem appli-  
cari. Publicorum publicè opottet exercitationem fieri, inquit  
Philosophus, & ideo institutionis puerilis curam munusq; ad le-  
gislatorem refert, ut, qui, cum communitatī consulere legum  
salutarium Sacramento sanctioneq;, propositum habeat, nul-  
lam partem publicarum constitutionum, quarum bono fruan-  
tur simul omnes, idq; ad Reipublicæ gubernationem & salutem  
pertinere intelligat, debeat intermittere, aut negle&tūm præ-  
terire; atq; adeò etiam de ludis ad virtutem parandam, exerce-  
damq;, & i ad literas seu, GRAMMATICAM, MUSICAM,  
GYMNASTICAM, & Geographicen, quam figuratoriam di-  
cunt, discendas, aperiendis sollicitè decernere. Laudaverit ille  
sanè ( neq; enim invidemus ) Lacedæmoniorum institutum; sed  
majorem gloriam emeritæ sunt Athenæ, quæ, quicquid sapien-

A 2

iax

tiæ humanae, virtutumq; Religioni suæ accommodatum in universo orbe reperiri potuit, ambitu, non dicemus civitatis, sed murorum incluserunt, Minervæq; tūni togatæ, tūm paludatae; seu pacis militiae q; studiis locum concesserunt illustrissimum. Factum hinc est, ut non Græcia tantum discendi caussa eò fluxerit; verùmetiam Italia & quicquid ubiq; fuit, quod sapientiæ Magistros spe fructus præclari auscultandum in eo genere putavit. Migrarunt inde Romam literæ, & in alias quoq; regiones distributæ sunt, quod communis boni gratia etiam barbarorum animos percelleret, & ad se appetendum permoveret. De progenitoribus nostris, viris prudentibus & magnanimis quid dicendum arbitramini? Si laudanda Sparta; si Athenæ extollendæ, quanto cumulatiore honore afficiendi sunt nostri, qui studiis Gentilitiæ Sapientiæ, si qua consistere cum catorthomate sacræ veritatis potuit, admissis, correctisq; veræ pietatis, atq; adeò æternis seculis tacitæ sapientiæ, quam nullus principum hujus Mundi videre potuit, accessionem adje- runt? Publicum bonum est virtute politica ad præclarè vivendum à puero instructum esse; Sed magis publicum, & ut loqui- tur Salvator, UNUM NECESSARIUM, omnia sua ad DEUM, fontem bonorum primum revocare, & Religionis primordia sincerè, recte q; constituta habere, ut, qui in hujus Mundi socie- tate sub publico jure virtutem coluerunt etiam pietate DEIq; immortalis cultu consentiant, & æternæ vitæ consuetudine de- lecentur. Magnam ad id vim habent Scholæ publicæ, imò quantum ad Remp. benē humanis legibus constituendam, vel solam, & omnem. Quocirca & Majores nostri publici muneris esse sapienter judicârunt, GYMNASIORUM, SCHOLARUMq; piarum & liberalium curam suscipere, & publicis stipendiis con- duccere doctores, & alere, quorum ministerio juventus publi- cum literatæ piaq; virtutis bonum feliciter consequeretur. NON OPORTET NEGIGERE posteres, quod benè inven- tum

tum, stabilitumq; conservarunt primi, & ex quo talus Ecclesiæ  
Reipublicæq; dependere intelligitur. Itaq; præclarum est, nec  
cum Lacedæmoniis Atticisve comparandum propositum ILLU-  
STRISSIMI PRINCIPIS NOSTRI ET D. D. IOHANNIS  
CASIMIRI, DUCIS SAXONIAE, LANDGRAVII THU-  
RINGIAE, MARCHIONIS MISNIAE, PATRIS PATRIÆ  
ET D. NOSTRI Clementissimi, quo laudabiliter sapienterq;  
inductus, tūm synceræ pietatis Gymnasium, tūm liberalium ar-  
tium Scholam extrui splendide & dotari curavit, ne unquam  
decessent, qui Religioni castè operarentur, & Remp. in optimo  
statu, Deo benigne aspirante, conservare contenderent. Scho-  
la quidem quam ab artium humaniorum TRIVIO, TRIVIA-  
LEM appellant, pridem in pluribus Illustrissimi Ducatus locis,  
maxime verò in NOSTRO COBURGO, Senatu quoq; oppi-  
dano non parùm de ea promovenda sollicito, viguit; sed nuper  
excitatum, eiq; conjunctum Gymnasium, uti plura majoraq; ad  
pietatem virtutemq; & bonas literas discendas complectitur  
præsidia; ita etiam abundantiorem laudabilioremq; fructum  
promittit, ut pro hoc in melius provehendo conservandoq; pu-  
blicè auxilia consiliaq; oporteat comportare omnes, votisq; piis  
incessanter ejus incrementum à DEO OPT. MAX. EXPETERE, &  
rogare. IN HOC IAM TOTUS EST ILLUSTRISSIMUS  
PRINCEPS NOSTER.

Itaq; non sine difficultate & sumtibus ROTEMBURGO ad  
TUBARIM accersendum curavit virum Clarissimum, in hac ar-  
cadiu feliciterq; exercitatum, Dn. ANDREAM LIBAVI-  
UM, PHILOSOPHUM, POETAM, ET MEDICINÆ DO-  
CTOREM; INSPECTOREM GYMNASII ILLIUS, EX-  
ERCITIORUM PRÆSIDEM, ET MEDICUM CIVITA-  
TIS, ut, quam ibi laudabiliter impedit operam, in Casimiria-  
no quoq; illustrissimo adhiberet, essetq; GUBERNATOR &  
DIRECTOR GYMNASII, PROFESSORQUE PRIMA-

RIUS, ET SCHOLÆ TRIVIALIS INSPECTOR; qui plementem orthodoxam, cui conservandæ & illustrandæ maximam semper curam impendit PRINCEPS, diceret exerceretq; & cæteras disciplinas, sua autoritate consilioq; inter Collegarum opera distributas, gubernaret, & juvaret. Hunc solenniter cæteris in Gymnasio & schola docentibus discentibusq; de mandato & iustu ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS NOSTRI & D. D. IOHANNIS CASIMIRI commendare, & in officii Gymnastici occupationem introducere ad xx. MARTII, HORA MATUTINA VII. volumus.

Ideoq; autoritate ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ET DN. NOSTRI, & SCHOLARCHATUS, cuius dignitatem gerimus, docentibus discentibusq; in Gymnasio & Schola præcipimus, ut ad dictum diem horamq; piè affecti frequentesq; comparere in auditorio majore non cunctentur. Cæteros autem Doctores, Magistros, & quicunque literarum optimarum cognitione usuq; in aliquo numero esse querunt, & commercio earundem illis accedere, etiam amicè invitamus, ut celebritati huic interesse, coronamq; Nobilium, & Doctorum Virorum sua præsentia explorere, dignitateq; cumulatius exornare, & vota sua cum cæterorum precibus gratulationibusq; conjungere velint; quò omni ex parte salus ILLUSTRISSIMI DUCATUS NOSTRI, Ecclesiæ profectus, & Reipublicæ ornamentum, adjumentumq; constet, & promoteatur. P.P. In valvis Gymnasii Idibus Martii Anno reparatæ salutis. M D C V I I.

MELCHIOR EPISCOPVS.  
Pastor Ecclesiæ Coburgensis & Superintendens provincialis, suo & Collegarum nomine subscripsit.

A.

Decorative border at the top of the page.

## Declamatio.

# DE SCHOLIS, DOCENTI- BVS DISCENTIBVSQVE, ET BENEFICIIS DIVINIS, PRÆSTANTI AQVE totius operis, ex Psal. 84. ad introductionem Gymna- siarchæ: 20. Martii. 1607.



Vàm dilecta sunt tabernacula tua,  
Domine exercituum: Concupiscit, & deficit anima  
mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exul-  
taverunt ad D E U M vivum. Etenim avicula invenit  
domum, & hirundo nidum sibi, ubi ponat, pullos suos, Altaria  
tua, Domine virtutum, rex meus, & Deus meus. Beati, qui ha-  
bitant in domo tua, in sæcula sæculorum laubabunt te: Sela.

Sic canit vates regius Psal. 84. exultante spiritu prædicans taberna-  
culturum D E I, in quibus divina peraguntur ministeria, dulcedinem &  
jucunditatem, quâ alliciuntur trahunturq; animæ piorum, adeò, ut non  
possint non desiderare, vel in vestibulis sanctis saltē comparere, & in  
D E O vivente corpore & animo collatari atq; exultare. Causam huīus  
oblectamenti ponit inventionem & constitutionem Ecclesiæ certæ & im-  
mota, in quâ sonante incorruptâ verbi divini doctrinâ cultus est sincerus,  
minimeq; fallax & pollutus: id quod elegante admodum ex avibus simili-  
tudine illustratur. Patrum enim ætate Ecclesia per multas terras acta, tan-  
dem in Aegypto duriter tractata, hinc in deserto vagabunda. inde bellis  
agitata usq; ad Salonionis tempora, tanquam avis peregrina, nūssiam in-  
venit tutam stabilemq; sedem, ubi securè docere & sacra celebrare, pullosq;

JNOS

suos quasi excludere posset: donec templo condito certum locum ei adsignavit Deus, in quo, velut in nido, pareret. Quæ de hirundine dicuntur, alii aliter intelligunt & interpretantur. Quidam sic accommodant, non incommodé. Avis vaga est & obstrepera hirundo. Illâ igitur representari volunt cogitationes erroneas hominum eorum, qui sollicitè admodum inquirunt veritatem. Sed non inveniunt, quia extra Ecclesiam querunt. Consulantur omnium Philosophorum historiae, de quibus hic dicendi prolixè locus non est. Illi soli, soli, inquam, illi, quos Deus ad suâ ducit tabernacula & aras, inveniunt solidum constantemq; manendi nidum. In Ecclesia ergo gremio jucundum est commorari. Ad Ecclesiam enim adductæ mentes erronæ, positâ instabilitate falsitatum, cognoscunt veram de Deo divinoq; cultu doctrinam, & inde de inventâ veritate sincerâ sibi gratulantur, in eâq; suaviter acquiescent, laudantes Dominum in seculorum secula, à quo in statum tam fælicem ac beatum receptæ sunt & collocate. Beati, inquit Psaltes, qui habitant in domo tuâ: In secula seculorum laudabunt te: Sela. Quid jucundiss? quid desiderabilius? quam habitare in domo Domini, ut inter beatos numeremur. In quâ re vero beatitudo ista consistit? Num satis est numerum explere, & cœlestem quandam dulcedinem experiri? Non sane. Immò beatorum est, non nosse tantum Deum, & sentire fælicitatem loci beati: verum etiam sempiternis laudibus Deum celebrare, atq; ita virtutem contemplativam perennibus circa laudes divinas occupatam tenere actionibus, id quod iterum est argumentum jucunditatis istius & dulcedinis, quâ afficiuntur Ecclesia veræ ciues. In laudantium Deum choro, tanquam stellæ in firmamento, eluent Doctores. Horum fortitudo est in Domino: Hi omnem vim doctrinæ suæ, omnemq; fiduciam habent collocatam in veritate Dei, & in fideli ipsius præsidio tutelâq;. In Doctorum talium animis semitæ sunt & viæ Domini, quas, prælucente verbo, monstrant populo, transeuntes per vallem fletus, sive per mundum ignorantiae, tenebrarum, misericordiarum & errorum, facemq; praefrentes obtenebris hominum oculis, ut tandem incipient videre jucundans Solis divini jubar, & à falsis ad verorum cognitionem pervenire.

Verbum

Verbum idem irriguus est sicutum animarum liquor. Est poculum DO  
MINI salutare, & aqua viva vera sapientiae; quam qui bibunt, non siti-  
unt in aeternum. Ioh. 4. Hic potus ne deficiat, Prophetae & Apostoli per val-  
lem fletus transeuntes passim scaturigines ponunt, ut ex communis  
Catholicae Ecclesiae fonte deriventur rivuli in omnem terram, qui erum-  
pentes ibi fonticulos, castella, & lacus aquae viventis in vitam aeternam  
scaturientes constituunt. Fonticuli isti quid sunt aliud, quam Schola pia, &  
Ecclesiae particulares? Magnam illarum multitudinem in universo mun-  
do constituerunt Apostoli, & eorum successores. Verum non sine fletu, quia  
in valle fletus: Repugnat enim veritati exorienti falsitatum multitu-  
do, & potentianimum efferate: Sed non sine successu divino. Itaque sca-  
turigines istae in novos distributa rivulos latius semper sunt progressae, &  
novos fonticulos praebuerunt, unde tandem ad nos quoque, divino beneficio,  
peruenit aqua verbi divini & celestis sapientiae viva. Hic fructus est sa-  
cro sancti Ministerii, Deo multa benedictione induente Apostolos  
& ministros suos, ut liquido appareat Deus Sioni, hoc est, Ecclesiae sua  
adesse, suamque presentiam manifesto successu, propagatione & conserva-  
tione doctrinae & cultus declarare. Eunt enim de potentia in poten-  
tiam Doctores, & virtute verbi victorias peragunt. Non deminui-  
tur aut deficit in eis fortitudo & veritas doctrinae, sed actionibus constan-  
tibus confirmatur crescitque, etiam per conflictus cum hostibus, a quibus ope  
spiritus Sancti devictis, crebros reportant triumphos. Tota autem hanc a-  
conomia, & constitutio Ecclesiae opus Domini est, presentis in Ecclesia, &  
omnia oculis suis coram insipientis, ac dirigenis in regno Christi sui,  
quod adeo preclarum, & desiderabile, & jucundum est, ut dies unica in  
illo sit praestabilior multitudine annorum in palatiis impiorum,  
sitque excellentius quiddam agere janitorem in vestibulo domus Do-  
mini, quam illustrem esse in profanorum aulis superbissimis. Ut enim  
Solumundo lumen infert, & res tenebris densissimis sepultas oculis mani-  
festat: ita verbum & veritas Domini illustrat oculos mentis & cor-  
dium nostrorum, ut in cordibus nostris videamus exorientem phospho-  
rum, & veram sapientiam consequamur. Nunquam talibus deerit gra-

B

tia &



tia & gloria. Nunquam destituentur protectione Dei adversus mundi  
immundi machinamenta, & ignita Diaboli tela: Nunquam bonis verè  
bonis privabuntur verè boni, in innocentia ambulantes. Fons enim bo-  
norum nunquam deficiens Dominus, in quem sperant. Ac proinde  
ō beatum hominem, qui sperat in te, Domine Deus exer-  
cituum. Recensui paucis sententiam Psalmi, ut appareat, quibus argu-  
mentis jucunditatem & suavitatem conversationis in Ecclesia Dei pro-  
bet Psaltes. Quæ vero de Ecclesia differuntur, quis de Scholis etiam suo  
modo enunciari posse inficiabitur? Quid enim aliud est Schola Christia-  
na, quam initiatorum Dei templum, & parvolorum Ecclesia? vel, ut  
communiter loqui solemus, seminarium plantariumq; Ecclesie & Chri-  
stianarum Rerum publicarum? Hic pro gymnasialia & gymnasialia ha-  
bentur eorum, quæ postea in publico sunt docenda & exercenda. Hic sca-  
turiunt fontes, ex quibus aqua viva præbetur postea populo ad Ecclesiam  
confluenti. Pauca igitur quedam de Scholis audire, ne quæso vos pigeat.  
Qui carnalibus oculis intuentur Scholas, quia eis occurruunt labores plus  
quam Sisyphi, pulveres ac fatores molestiss. peneq; intolerabiles, cum  
adolescentia contumacia, ignavia, lascivia, improbitate, & plurimorum  
hominum pro laboribus fidelissimis ingratitudine summâ conjunctis; illi  
nequeunt Scholas pueriles appellare dulces, suaves, jucundas, desiderabi-  
les; sed ut primum cogitant de illis, horror subit & trepidatio, pallor exori-  
tur & fuga. Pistrinum his Schola est, & angarium, & compedium mole  
molestus carcer. Sed Spiritui Sancto, & his, qui spiritualibus oculis viden-  
tes spiritualia spiritualiter interpretantur, Scholasterium est, juxta Psal-  
lum in exordio productum, quedam domus Dei amabilis, multâ gratiâ  
& voluptate perfusa. In Scholis Christianis non minus ac in Ecclesia opus  
Dominum peragit. In his jacuntur fundamenta pietatis, & libera-  
lium disciplinarum. Hic tanquam in vineâ, inseruntur propagines: Hic,  
velut in horto, inseruntur surculi, quorum robore, per ministerii modum,  
ali quando sustentetur Ecclesia & Respublica quorumq; fructu fruantur po-  
puli, & ad seminarii virtutum conservationem utantur. In bene consti-  
tutis Scholis omnia fiunt κατ' εὐλαζίαν καὶ εὐχημόρως. Cur itaq; huc non  
accommo-

accommodeamus verba Psaltæ? Quàm dilecta sunt tabernacula  
Scholarum tuarum, DOMIN E exercituum, exercituum quoq; Scho-  
lasticorum. Nam & hic DEO militatur. Tantum est in illis oblectamen-  
ti, tantum suavitatis, ut desideret anima mea vel in vestibulis earum sal-  
tem commorari. Læticia perfusum est cum animo corpus quoq; & in DEO  
vivente exultat. Quid de piorum Scholis dici dulcius potest? Quid dele-  
ctabilius? Habeant suos labores, habeant suas molestias & miseras Scho-  
lae: Absint à splendore mundano, & aliis vita oblectamentis: Rideantur  
& contemnuntur ab iis, qui nihil mirantur & amant, nisi quod foris ama-  
bilitate fallaci perstringit ipsorum oculos, mentesq; fascinat: At quibus  
internæ pulcritudinis Scholarum species innovuit, & thesaurus intorsor-  
des latitans est manifestatus, hi gaudio delibutos habent animos, hi stu-  
dia Scholarum amant, illisq; adeò delectantur, ut optent informationi pu-  
erili subinde interesse, nec abstrahi possint. Sunt Scholasteria sapientum  
domus quedam, & receptacula fida juventutis in errores proclivis. Hic  
desinunt vagari volucres adolescentum cogitationes, & ad certum sapien-  
tiæ veræ nidum adstringuntur, ut non obsequantur corporeis voluptati-  
bus, sed in rerum divinarum humanarumq; verâ contemplatione omne  
oblectamenium querant, nec specie veri sophistica, aut falsitatum turbâ  
decipientur, omnig; doctrinarum vento agitantur: Sed ut oraculis divi-  
nis imbutæ, falsum à vero secernant, & in hoc acquiescant, tanquam in  
nido suo hirundo. Nec est sterilis cathedra domus ista sapientiæ, vel  
ocium infrugiferum, aut illiberalis quies & inertia. Cum puer indolis  
ingenuæ ad hanc domum perductus est, magistro sapientiæ animo ipsius  
& menti incubante, concipit igniculum quendam, & vim virtutum o-  
ptimarum scientiarumq; utilium seminariam, quâ subinde fota & accessio-  
nibus auctâ tandem exoritur fatura, tanquam pullus, hirundine ovis in  
nido suo insidente. Generat autem secundum naturam simile sibi unum-  
quodq;. Quapropter, dum præceptor à puero erudiendo non cessat, benedi-  
cente DEO se timentibus, fit sapiens qualis ipse. In Scholis sapientum  
sunt pulpita & cathedrae DOMINI. Ex his oracula ore docentium,  
fundit ipse Deus. Hic incensa sunt DOMINI, & tanquam ad aras,

sacrificia laudum & orationum, quibus Ecclesia & Resp. à D E O impe-  
rat, quodcunq; ad suam salutem spectat. Beati ergo qui habitant in  
eiusmodi domiciliis D E I, quandoquidem crebris D E I laudibus con-  
tinuò personant, ut quasi induulta D E I præsentis, audientis, videntis,  
& operantis societate fruantur. In horum animis vim suam exercet bea-  
tus ille & benignus omnium bonorum largitor. Ille sapientiam doctori-  
bus suppeditat, & regit cogitationes, linguam, & actus eorum, ut omnia  
fiant ad mandatum, & arbitrium Spiritus Sancti. Hic vias sternit in pe-  
ctoribus docentium, & discentium, ut quorsum sit tendendum nove-  
rint. In Scholis puerilibus semitæ istæ, & viæ vocantur trivæ: non, quod  
incerto trium viarum concursu iter facturum ambiguum reddant, &  
in avia deducant, sed, quod trium artium, divino munere inventarum,  
conspiratione juniores discant benè loqui, eleganter dicere, & sapienter dis-  
serere. Hinc Scholarum trivialium q. Τριάντα, nomen. Sed in his ta-  
men non est summarerum. Instrumenta enim potius nescendi sunt istæ  
viæ, & veluti præparationes & propædeumata, seu progymnasmata ani-  
morum, quam primæ sapientiæ fundamenta. Ideò & generales artes vo-  
cantur. Speciales autem viæ seu semitæ veritatis & sapientiæ solidæ, in-  
ternæ, & singularis, sunt divinæ humanæq; scientiæ, verbo D E I & sa-  
pientum libris, seu doctrinis, comprehensæ. Semitæ igitur tam generales,  
quam specialis, cum sint lucidae, & igniculis sapientiæ collustres, irradiiant  
etiam in animis puerorum, in quos species ex animo, & intellectu doctorum  
transit, ut, sicut in præceptore D E U S viam posuerat, ita ponatur in a-  
nimis discentis, & hinc porrò in multos propagetur. Eluescit ergo hinc in-  
gens Scholarum bonum. Nam semitæ recti & veri hic nascentur, fiuntq;  
doctores Ecclesiæ & Reip. salutares, qui per vallem fletus transeuntes fon-  
tes ponunt virtutum & doctrinarum, efficiuntq;, ut sapientiæ proventu  
abundet civitas. Verum gestamus thesaurum in vasis fictilibus, eumq; di-  
scentes etiam fragilibus vasibus excipiunt, utpote in mundo versantes va-  
riis imbecillitatibus obnoxio. Oculi mentis nostræ ad veritatis contem-  
plationem se habent, ut oculi vespertilionum ad sincerum diei lumen. Ob-  
stant nobis turbæ oblatrantium bestiarum in parte concupiscente. Rigitu  
suo

suorationem s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> perterre facit leo ille animosus apud Platonem. Instrumenta cogitationum & sensuum per se sunt infirma, variisq<sup>s</sup> casibus & etate hebescunt. In puerorum animis obstaculo est ferina natura & durescere, & ex duris nodis effingere mollia simulacula. Accedit consumacia verbis & flagris compescenda. Naturā omnes sumus proclives ad licentiam & voluptates. Ab his ut abstineantur animi, res magni est laboris. Virtutem posuere dii sudore parandam, ad quam in eminente col. Hesiodus le positam via admodum est aspera & anfractuosa, præcipitiisq<sup>s</sup> & sentibus plena. Orandum itaq<sup>s</sup> & laborandum, quamvis in ipsa etiam oratione sit labor. Taceo incommoda cætera, quæ cumulatim præceptores & discipulos premunt impediuntq<sup>s</sup>. Non parva fletus causa est contemnus mundanus, quo in Scholis docens tanquam pro asino & infami habetur, nec raro vix vilissimi mancipii aut subulci præmium reportat. Sed solatio est præceptoribus piis ac fidelibus exemplum C H R I S T I & Apostolorum, qui per vallem fletus ambulantes etiam inter carduos & spinas, montiumq<sup>s</sup> præcipitia, & victu & amictu contenti, fontes posuerunt, ex quibus tanto uberioris aqua exiliit viva, quanto excelsioribus jugis & horridioribus vepribus, ut docent persecutionum tempora, fuerunt subjecti. Aliquando tamen etiam de excelsis Libani desfluunt in campestria rivuli, & ut loquitur Salomon, putei aquarum viventium, D E O exuscitante principum animos ad propagandam sapientiam, & nutriendos doctores cœlestis doctrinae, per revelationem Filii D E I è sinu patris delatae & cognitæ. Inde nutricii Ecclesiæ & Scholarum reges, & reginæ nutrices. Docent aliquando aliqui etiam expinguibus & excelsis: Omnes cum benedictione D E I. Doctores enim amiciuntur multâ benedictione, quam etiam transferunt suâ ope & operâ in alios D E O placentes. Hinc fit, ut infirmi licet sint: labortamen eorum non sit inanis in D O M I N O. Virtus enim D E I in infirmitate perficitur: Qui & adstat in medio Synagogæ & efficaci sapientiæ Spiritu spiritum insipientiæ domat in discentibus, & captivum dicit ut obædiant veritati. Itaq<sup>s</sup> & victoriæ obtainentur multæ, Vide Plater crescitq<sup>s</sup> virtus adeò, ut ex potentia in potentiam ire videantur, hoc tonem in

est, videantur subinde potentiores reddi Praeceptores in docendo, cum  
novo semper virtutis, & roboris incremento. Cum primùm traditur di-  
sciplina puer; prima victoria est de gestibus, manibus & lingua benè com-  
ponendis: Deinde expugnatur inertia ab utero contracta; tarditas inge-  
nii & stupor decutitur; ruditas principiis pietatis & artium subinde in-  
geminandarum deletur; improbitas & nequitia eradicatur; & omnino  
tanta est victiarum copia, ut continuo q. jugo & catenatim cohæ-  
reant, donec morte ingruente omne impedimentum precidatur, fiatq;  
transitio ex valle fletus in campos leticie patentes, & ex victoria in glo-  
riam sempiternam, ubi qui multos ad justitiam erudierunt, fulsuri sunt ut  
splendor firmamenti. Ingridiamur ergo ludum doctrinarum quantum vis  
forsidum. Nam & ibi DEUS habitat, seq; fructu laborum Scholasticorum  
manifestat. Adducamus pueros CHRISTO. Talium enim est regnum cælo-  
rum, & hi sunt, quibus olim columnis in ministerio temporali & externa  
innixura est salus populi. Quàm igitur dilecta, quàm jucunda & ama-  
bilia tabernacula DOMINI? Beatus, qui habitat in eis, semper lau-  
dans DOMINUM, semper ambulans in innocentia, semper spe-  
rans in Domino. Is enim vicissim talium Sol & clypens semper e-  
rit, gratiam & gloriam illis dabit, nec privabit eos bonis in æternū  
Sed ne patientia vestra abutar, ad ea quæ supersunt, & maximè pertinent  
ad præsentis temporis rerumq; statum, me converto. De nido Ecclesiastico  
domoq; Domini audivisti differentem regium Prophetam. In hac quoq;  
civitate inclitanidum talem constructum esse, quis est qui nesciat, aut dif-  
fiteatur? Ne exspectetis à me uberioris ejus encomium. Est enim id temporis  
& loci alterius. Nidi hujus Ecclesiastici quasi πρόδοπος est Scholajuven-  
tutis liberaliter informandæ, quam cùm sollicitè exstruxerit, excolueritq;  
laudabiliter, cum amplissimo hujus oppidi Senatu, Illustriſſ. noſter Prin-  
ceps & Dominus, D. Iohannes Casimirus, Dux Sax. L. Th. & M. Misn.  
Dominus noſter Clementissimus, nuper etiam insigni accessione adauxit,  
excitato adjunctoq; Gymnasio splendide, sumtuosèq; exædificato: cuius cùm  
formam etiam interiorem & ornamentum, fructumq; quereret; ut fit in  
his, quæ à parvo incrementum capiunt; invenit quidem initia non conte-  
nnende



mnenda; verum ut exornatio cresceret, stabilitamentūq; subinde in solidis,  
firmiusque proficeret, D E O sic disponente, & mutationem quandam,  
quæ vobis non est ignota, invehente, non quievit Dux Opt. providusque  
Pater patriæ, desiderio ampliandæ firmandæque Domus Dominica, ani-  
mitus affectus, & ad provehendum in majus, pietatis hoc & liberalium  
disciplinarum, morumque optimorum Gymnasium, ab ipso institutore, fun-  
datoreque Casimirianū, & Scholam Provincialem ditionum suæ Celsitu-  
dinis, appellatum, à Tubarina ripa, in ultimis Franciæ nostræ oris, non sine  
difficultate sumtibusque adduxit Gymnasiarcham D. D. ANDREAM  
LIBAVIUM, virum undiquaque doctissimum & celeberrimum, nec non  
in palestra simili, multis antehac annis, multaque cum laude versatum:  
Quem vult Gymnasii hujus non tantum inspectorem superiorem esse, ve-  
rum etiam Directorem & Professorem primarium; cuius operâ & studio  
non tantum celebritate cresceret Acroaterium hoc, sed etiam diligenter in-  
formaretur juventus & ad altare CH RISTI Ecclesiamque adduceretur.  
Hunc jam vobis præsentem videtis, utpote mandato & voluntate Illu-  
strissimi Principis nostri solenniter introductum, de quo non dubitandum  
est, quin quicquid Spartæ suæ fuerit, id pro virili sit exornaturus. Faxit  
DEVS OPT. M A X. ut consilium hoc & institutum feliciter cedat ad  
gloriam nominis divini, & tandem ad Illustiss. Celsitudinis ipsius nun-  
quam intermorituram memoriam. Ut autem Spiritus sancti quoq; ad hoc  
tantum opus imploremus auxilium, non pigeat vos mecum ardentipectore  
me hæc verba Ecclesiæ solennia perorare:

Veni sancte Spiritus,  
Et emitte cælitus  
Lucis tuae radium.

Veni pater pauperum,  
Veni dator munerum,  
Veni lumen cordium.

Consolator

*Consolator optime,  
Dulcis hospes animæ,  
Dulcerefrigerium.*

*In labore requies,  
In æstutemperies,  
In fletu solatum.*

*O Lux beatissima,  
Reple cordis intima  
Tuorum fidelium.*

*Sin et tu numine  
Nihil est in homine,  
Nihil est innoxium.*

*Lava, quod est sordidum,  
Riga, quod est aridum,  
Sana, quod est faucium.*

*Flecte, quod est rigidum,  
Fove, quod est frigidum.  
Rege, quod est devium.*

*Dat uis fidelibus,  
Inte confidentibus,  
Sacrum septenarium.*

*Da virtutis meritum,  
Da salutis exitum,  
Da perenne gaudium. Amen.*

*Oratio*



ORATIO REVER. D. IOHAN-  
NIS GERHARDI, SUPERINTEND.  
HELDBURGICI ET S. TH. D.

**S**i remotis pectorum velaminibus, Proceres Ma-  
gnifici, Viri Reverendi, Nobilissimi, Clarissimi, Consultissimi, Excel-  
lentissimi; vosq; Adolescentes ornatissimi, si inquam, remotis pectorum  
velaminibus corda cuiusq; vestrum in aperto paterent omnibus, non du-  
bitarem, quin lucidissima quedam letitiae divinaq; laudis flammula in  
illis conspiceretur. Cur in hanc adducar sententiam, cur animo penitus fi-  
xum hoc sit meo, exponam quam potero brevissime. Quoties pulcerri-  
mum illud Mundi theatrum animo atq; sensibus percurrimus, eo scilicet  
modo, ut cœlestis machinae affabre extrectæ rotunditatem, facularum in  
ea accensarū perpetuam luciditatem, volatilium, piscium, animalium ter-  
restrium, herbarum, arborum ac mineralium admirandam varietatem  
contemplemur, non possumus non ad divinæ bonitatis agnitionem, ac la-  
tissimam gratiarum actionem excitari: atq; inde est quod creature dicun-  
tur divinæ agnitionis scalæ à Gersone, quod mundus nominatur pulcerri-  
mum sacerrimumq;. DEI templum ab Eugubino, quod Natura dicitur  
viva quedam Epistola DEI manu ad genus humanum perscripta ab  
Augustino. Quod si ex creaturarum atq; mundi inspectione ad divinæ  
elementiæ agnitionem, gratamq; deprædicationem assurgimus, cur dubi-  
tem eandem in animis vestris ortam sententiam per ea, quæ modo de  
hoc Illustri Gymnasio Casimiriano oculis atq; auribus accepistis? Quid  
enim? an non amplissimam laudum divinarum materiam in hac DEI  
benignitate nobis propositam existimabimus, quam singulari ejusdem  
beneficio oculis intuemur latissimis, corde percipimus gratissimo, atq; ut  
diutissime ea frui ac gaudere detur, votis optamus ardenterissimis? Nimi-

C

rum

rum quod D E U S bonitate Optimus, potentia Maximus, talem nobis largitus fuerit Principem, cuius Illustrissima Celsitudo de educatione juvenutis, de Ecclesiæ, ac Reipublicæ salute, de longa posteritatis serie tam piè ac munificè sollicita fuit, ut nullis parcere sumtibus, nullum beneficentia terminum ponere, nullum erogandi finem facere voluerit, antequam magnificum hoc & sumtuosissimum Pietatis, Virtutis & Sapientiae emporium extrueretur, neq; solum extrueretur, sed etiam viri eligerentur clarissimi, qui in eo divinæ humanæq; Sapientiae merces preciosissimas exponerent, thesauros depromerent: atq; in primis totius hujus mercaturæ præses constitueretur Vir autoritate præstans & eruditionis laude celeberrimus, qui cæterorum ègodiwñns, in rebus planis monitor, in dubiis consultor, in necessariis adjutor, in omnibus rector, director ac gubernator esse posset. Inventus verò & constitutus, D E I gratiâ, Illustrissime prudentiâ, Consiliariorum vigilantiâ, is est, cuius fama non intra paucos delitescit parietes, nec iisdem, quibus Germania terminatur finibus, sed transvolavit Alpes, transfretavit Sequanam, ac celeberrima quæq; Europæ loca longè lateq; pervagata est, unde etiam non vulgare, sed eximum Illustris hujus Gymnasii sub tali præside incrementum spe minimè dubia omnes præcipimus ac prælibamus. Hæc si oculis, si auribus, si animis nostris obversantur, dubium nullum, quin sacrificium laudis ac fructum labiorum confitentium, Nominis ac Numini divino immolandi materiam abunde nobis suppeterem existimemus. Refert Cedrenus quendam ex religiosis imperante Phoca, coram D E O conquestum esse, cur tam impium Christianis imposuisse Imperatorem? ac audivisse tum eum vocem, cum neminem quidem videret, sibi dicentem, deteriorem alium inveniri potuisse nullum, at hanc vindicis D E I iram meruisse Constantinopolitano-rum peccata. Quod si divinæ iræ indicium est certissimum, si imperii clavum obtineant illi, quibus magis cordi est regio quam religio, quibus magis curæ est voluptatum instrumenta querere, quam publicæ salutis inservire, utiq; ex hac illustrissimi ac Celsissimi nostri Principis pia munificentia & munificentissima pietate divinæ erga nos clementiæ documentum capere possumus evidentissimum. Ceterum quia gratia in oris & labiorum

& labiorum extremitate conceptae Deo non placent, nisi ex affectu cordis  
profecta in operis executionem simul traducantur (recte enim dixit  
Chrysostomus, honorem & gloriam non verbis nudis D E O reddi, cum  
ipse non verbis nudis nos honoraverit, sed rebus ac operibus) ideo nulus  
dubito, quin illi, quos D E I providentia ac Illustrissimi prudentia in illu-  
stri hoc Gymnasio docentes, vel quos D E I ac parentum voluntas discen-  
tes esse iussit, officii sui utriq; memores sint futuri. Optarem, Magnifici  
proceres, viri Reverendi & Clarissimi, patere vobis ea, que intimis  
cordium recessibus conceperunt illi, quos ad docendi munus enectos ex hac  
ipsa cathedra studiosa juventus audit, clare conspiceretis, quod pro peri-  
tissimo atq; ex p[ro]ptatissimo Gymnasiarcha divinitus nobis concessio supplices  
D E O agant gratias, quod et tanquam capiti omnem observantiam, con-  
cordiam & obsequens pacis studium pulliceantur, quod fixum firmum in  
animo constituum habeant rei magnitudine perpensa, ac injuncti officiis  
cum gravitate, tu necessitate estimata una subire humeris onus ac viribus  
enit summis, ut sit bunda hanc pubem omnigeno salubris doctrina, & in-  
genuarum artium liquore imbuant, pietate, morum gravitate, ac totius  
vitae integritate ei pr[ec]lueant, eandem ad probitatem fingant. & omni hu-  
manitatis cultu perpoliant. Observatur jugiter ipsorum animis gravis-  
sima aegydiadaea[n]s nostri Christi admonitio, ne quis dotes a D E O  
sibi concreditas patiatur esse steriles, sed eas pro virili excusat, ad aliorum  
usum convertat, atq; in lucrum Domini elocet. H[ab]et cordibus ipsorum,  
altè infix a illa Prophetæ sententia: Maledictus, qui opus Domini fecerit  
negligenter. Non ita ab omni humanitate & Naturæ conditione remoti  
sunt, quin eorum seria afficiantur cura, quos Deus non servorum, nec am-  
corum, sed filiorum loco apud ipsos depositus. Discipulos Prophetarum in  
divinis tabulis filios eorum appellari norunt; Abesse igitur a se jubente  
quam longissime ut eorum salutem susq[ue] deg[ressu] haberi velint, quos filiorum  
loco fovendos sibi concreditos habent. Luscinae pullos suos cantare prædo-  
cent, ac si capiantur adhuc rudes & hominū manibus nutriantur, peius ca-  
nunt: ne ergo humanitatē exuisse, & ea negligere videantur, quæ à hrutis  
animalib[us] studiosissimè observari animadvertis, eo majori studio ac conatu

sibi allaborandum norunt, ut studiosos adolescentes, quibus parentum loco præfecti sunt, de omnibus quæ ad eorum salutem pertinent, prædoceant, ne fortè mala consuetudine capti, tota vita pejus & ea canere discant, quæ & in sui perniciem, & in DEI ignominiam cadant. Hæc sunt, amplissimi proteres, quæ tacitis cogitationibus secum revolvunt, qui in hæc docendi pulpita collocati, hæc ipsorum nomine vobis exponere ac polliceri iubent, hæc easunt, quibus nihil prius, aut antiquius in posterum sibi esse parentur. Ad vos, qui discentium subsellia occupatis, Nobiles ac studiosi adolescentes, mea jam se vertit oratio. Et quamvis ex omnium vultu, atq[ue] oculis, qui mentis imago quædam sunt certissima, egregiam vestram indolem, ac singularem in discendo alacritatem non obscurè colligam, tamen ex sinceri erga vos amoris affectu & commodorum vestrorum promovendorum studio non dubitabo in medio cursu vosmet reddere excitatores. Credite Fabio, non minorem reverentiam, honorem ac obædientiam Præceptoribus, quam parentibus deberi, cum non quidem corporis, sed quæ his longè dignior, mentis sint parentes ac formatores. Nec frustra à Luvenale dictum existimat: Dii præceptores sancti voluere parentis esse loco. Quid Deo, quid parentibus, quid patriæ debeat is, noctes diesq[ue] cogitate. nec temporis exigui labor, paucorum annorum molestia, radicum in studiis amaritudo animos ita frangat vestros, quo minus uberrimos atq[ue] dulcissimos studiorum fructus, qui laborem atq[ue] industriam vestram certissimi manent, respicere velitis. Hoc enim scitote, si debitam præceptoribus exhibueritis reverentiam, si salutaribus eorum monitis obtemperaveritis, si diligentiam vobis dignam in studiis adhibueritis, si labori potius & aliis honestis exercitiis dies & horas vestras insumere, quam ad voluptates, ad otium, ad alia vilia, ac generosis vestris animis indigna, sensus atq[ue] appetitum dejicere volueritis, deniq[ue] quod primū esse debebat, si precibus seriis divinam benedictionem efflagitaveritis, ea vos manere præmia, quæ nec oratione mea valent enumerari, nec cogitatione vestra comprehendendi. Ea enim laboriosa in studiis industriæ est Natura, ut in virtutis arcem, prudenter possessionem ac rerum admirabilium scientiam homines deducere possit, adeò ut, sive quis differendi ac sermone accurato animos quo velit flectendi

flectendi rationem, sive metiendi, ac ratiocinandi subtilitatem, sive earum rerum, quae in naturae penetralibus latitant, investigationem, sive Rerum-publicarum gubernandarum notitiam, sive accuratiorem rerum divinarum cognitionem cupide expetat, ejus fames non secus ac Achillis desiderium, hujus nectaris atq[ue] Ambrosiae medicamine tollatur ac expellatur: Late patior lubens, quod studiosus labor, ac laboriosa cum precibus conjuncta sedulitas, gloriae ac bonae famae parens, invitos saepe ac renuentes ad divitias, ad dignitatis, & honoris summa vestigia evehat atq[ue] extollat. Sed illud postremo loco silentio involvi sine incogitantiæ crimine non posse existimo, illud inquam quod tam docentium quam discentium animis hæc debet infixum, ac fortissime impressum. Quodnam vero illud? Prospectat nos ex vicina arce Illustrissimus ac Celsissimus Princeps ac DOMINUS, DN. IOHAN-CASIMIRUS DUX SAXONIAE &c. Dominus ac Evergeta noster clementissimus, qui aureum illud Christianissimi Imperatoris Iustiniani apopthegma, se non minorem Ecclesiae quam vitæ suæ curam habere, jam pridem sibi fecit proprium, quiq[ue] in id studiissime incumbit, ut non manus solum pictas, & are incisas habeat, sed & actis laudatissimis exprimat imagines nunquam satis laudatorum majorum, qui periculis omnibus excuso animo despectis fortunarum jacturam facere, dignitate despoliari, ipsum etiam vita periculum negligere maluerunt, quam à semel agniti ac divinitus revelati Evangelii defensione recedere. Horum vestigiis perpetuo praconio dignissimis, ut Illustrissima ipsius Celsitudo constanter insisteret, quos non erogavit sumtus? quos labores non exantlavit? quas curas & molestias non devoravit? Parum erat ipsi in multiplices studiosorum cætus exercuisse omne illud liberalitatis genus quod à tanta potestate, ac humanitate proficiisci poterat, nisi adeò ad impensas animum induxisset suum, ut præclarum hoc summum religionis ac munificentie nullo unquam tempore intermoriturum monumentum posteris relinqucret, atq[ue] hac ratione procuraret, ut plurimis tam hujus quam aliarum nationum incolis ad divinam, ac humanam sapientiam via compendiaria aperiretur. O perpetua laude dignissimam beneficentiam. O paternam in subditos affectionem. O flagrantissimum

pietatis zelum ac studium. Quem quæso tanta pietas, tanta munificen-  
tia, tanta optimi Principis ac Patriæ patris clementia ad reverentiam non  
invitet, ad obædientiam non alliciat, ad studium, laborem ac diligentiam  
non trahat, cogat, impellat? ipsi illi, quos conspicit, parietes, ipsa illa,  
quam videtis, cathedra; ipsa illa, quæ occupatis subsellia de hoc Princi-  
pis animo clare testari, atq; verba facere videntur. Bias, qui sapientes in-  
ter septem unus est habitus, filio suo præcipiebat, ut in adolescentia sene-  
cūti viaticum compararet. Si vultis accipere, Adolescentes lectissimi, his  
Princeps noster sapientissimus, & Patriæ pater fidelissimus talem vobis pro-  
ponicurat alimoniam, cuius virtute non tantum in proiectam usq; at a-  
tem, sed etiam in omnem æternitatem animum vestrum pascere possitis &  
confirmare. Hesiodus, vir & Poëta optimus, ualias in æstate construere  
admonet, quibus ab hyemis frigore & injuria tuti esse possumus: hæc sunt  
grata illa, & optata tempora quibus si vultis, æternorum tabernaculorum  
ligna, lapides & materiam præclaram potestis comportare. Si rectè rem  
estimare velimus, eam Illustrissimi nostri Principis omnes singuli experi-  
muri pietatem, prudentiam, liberalitatem, studium ac zelum religionis,  
atq; publicæ utilitatis curam, ut nemo nostrum esse debeat, qui si fieri  
posset, ad hujus clementissimi patriæ patris dies prolongandos de sua vita  
non libens meritog; portionem aliquam conferre velit. Quomodo ergo  
reverentiam, subjectionem, obædientiam, studium, ac diligentiam, quam  
in officio nostro adhiberi à nobis postulat, detrectabimus ei, qui tanta præ-  
est pietate, prudentia, ac dexteritate, ut non immerito cum Evagor & subdi-  
cis dubitare possumus, an felicior ipse Princeps qui imperat, an ipsi nos for-  
tunatores judicandi, qui tali Principi obtemperamus? Et hanc ipsam, se-  
utring, quod nostrarum partium fuerit, ipsius clementia nunquam est de-  
positura affectionem, sed talem esse in posterum etiam exhibitura, ut in-  
telligamus subditorum reverentia, & obædientia non minus Principes ad  
præmia, & benefacta provocari, quam subditis Principum munificentia ac-  
criores ad virtutem stimulos addi. Sed revertamur ad fontem, ex quo  
varii illi variorum bonorum rivuli ad nos permanarunt. Tibi ergo, ô æ-  
terne Deus Pater, Fili, & Spiritus Sancte, gratias agimus toto pectore,

quod

quod talem nobis voluisti præesse Principem, cuius consilia nihil aliud de-signant, actio nihil aliud spirat, oratio nihil aliud sonat, scriptio nihil aliud notat, vita nihil aliud exprimit, sumtus & impensæ nihil aliud quaerunt, quam veræ religionis conservationem, sanctæ justitiae administratiōnem, & publicæ salutis procurationem; qui præclarum hoc pietatis, virtutis, ac sapientiæ fanum non solum maximis sumtibus erectum voluit, sed etiam magna, ac seria cura ad docendi munus in eo gerendum tales consti-tuit viros, quorum auxilio doctrinæ cælestis puritas, disciplinarum cognitiō, & vitæ integritas ad posteritatem quasi manuducantur atq; propagen-tur: respice nos, ô misericordissime Deus, oculis tuæ misericordiæ atq; exo-ptatissimum hunc nostrum Principem, cum Illusterrimæ ipsius Celsitudini-conjuze diu salvum & in columem conserva: rege etiam ac tuere Illu-sterrimæ ipsius Celsitudinis fratrem Illusterrimum, Dn. JOHANNEM ERNESTUM SAXONIÆ DUCEM &c. Dominum nostrum clementissimū, cum Illusterrimæ ipsius Celsitudinis conjuze: concede illis ani-mi ac corporis in columitatem, vitæ longævitatem, imperii prospéritatem: ac cum imperii sui curriculum consummaverint, jube eos, qui in hoc seculo tam bene imperarunt, cum Christo sedere in throno Christi, & de gloria hu-jus seculi in æternam gloriā transferri. Vtriusq; partis consiliarios, pruden-tiæ ac fortitudinis spiritu rege, ut omnia sua cogitata, actiones omnes, ad di-vini nominis gloriam, ad Ecclesiæ salutem, ad publicam tranquillitatem dirigant. Ad sis etiam tuâ gratiâ Reverendo hujus urbis Ministerio: be-nedic sanctis ipsorum laboribus, ut sint in veritate constantes, in laboribus & precibus vigilantes, in adversis imperterriti, ac Sanctum verbis emen-it a spargant, ut copiosa ex eo messis enascatur, ing; æternæ vitæ horrea ali-quando transferatur. Seorsim vero illustre hoc Gymnasium precibus tibi commendamus ardentissimis, ac seriis oramus gemitibus pro ipsius salute, atq; incremento uberrimo Dominum Gymnasiarcham, ac reliquos, qui do-cendi partes in eo administrant, vel administraturi sunt, spiritu sapien-tiæ, & concordiæ rege, ut unanimi studio, conjuncta opera, communi indu-stria, provinciam hinc rectè ac laudabiliter administrent, ut totum hoc negotium ad DEI Opt. Max. gloriam, emolumentum Ecclesiæ ac Rei-publicæ,

publicæ, memoriam beneficiorum Illusterrimi nostri augustam, & constan-  
tem, tandemq; salutem discentium, & docentium optimam conscientiam  
pertingat. Guberna insuper, clementissime DEUS senatum oppidanum, ut  
quæ sui sint officii serio cogitet, ac bene cogitata feliciter exequatur. De-  
nig; discentibus, & universo hujus Ecclesiæ cœtui largire propitius, ut pie-  
tatem D E O, obædientiam Magistratui, reverentiam præceptoribus, di-  
ligentiam in vocatione, dilectionem, & humanitatem sibi mutuo præ-  
stent, ut sic in terra nostra habitet gloria, veritas & misericordia obvi.  
ent sibi, justitia & pax se osculentur: in illa autem cœlesti patria con-  
junctis vocibus jubilemus, teq; æternum D E U M unum in  
essentia, trinum in personis, celebremus in  
omnes æternitates nullo seculorum  
fine terminandas.



Decla-

DECLAMATIO TERTIA AD  
INTRODVCTIONEM GYMNASTICAM  
DE DISCENDI MODIS, RECITATA  
Drectore ipso.

**N**ON esse inauditum, ignotumq; vobis,  
Viri Reverendi, nobiles, magnifici, consultiq;, & doctrinā, re-  
rumq; usu multiplici excellentes, vetus illud inter academiam  
& peripatum de disciplina dissidium, nemo non arbitratur, cui de excel-  
lente vestra eruditione, experientiaq; eximia perspectum est & explo-  
ratum. Discendum quidem esse in hac rerum angustiā, & natura defe-  
cta fortasse & mediocrium dubitat nemo: Sed quid sit id, quod **DISCERE**  
appellamus, controversum est etiam inter sapientes. Naturam ducem,  
quod optima ea sit & cognoscendi, & vivendi, agendiq; magistra, sequen-  
dam iudicaverunt acutissimi apud Græcos, Latinosq; Philosophorum.  
Hanc scire, quid conveniat cuig;: hanc monitricem esse solam rectam, ut-  
pote quæ nihil admittat, nisi conveniens sibi; & insita habeat, pro sui  
salute, optimoq; & felici statu fugiendorum & pros quendorum princi-  
pia, notitiasq; ad quas suâ sponte feratur, ut & in bestiarum genere cer-  
nimus, in qua omne alienum, fucatum & impostorium; domesticum ve-  
rò & congenitum, genuinum & per se laudabile. Huic infusum esse, con-  
creditumq; divinæ sapientiæ radium autumant, quo non tantum impel-  
lamur ad conformia legi naturæ peragenda, verùm etiam ab adversis co-  
hibeamur, absterrreamurq;. Intus nos ipsa ( inquit Horatius ) informas  
natura ad omnem fortunarum habitum: fingit intus ipsa & postea lin-  
gua interprete, gestibusq; motus animi effert. Hac àviodidælos, imò &  
Deodidælos cum sit ( inquiunt ) externo non indiget magistra; omniaq; in-  
se habet ad benè beatęq; vivendum, præsidia. Ut naturales motus cup di-

D

satesque

tatesq; & affectus sponte fluunt ab interno primordio: ita & rationis, voluntatisq; appetitus, & facultas, qualis ea in statu integritatis fuisse prohibetur, atq; etiam in palingenesis spirituali promittitur, expressè loquente Propheta: Ponam universos filios tuos doctos à Domino; (Ez. 34.) quod uaticinium repetivit Salvator in Iohanne, & Iohannes ipse in Epistola, cum ait; non necesse est, ut aliquis vos doceat, sed unctio docet vos de omnibus, & verum est, nec mendacium: In quam sententiam & Hierem: (31.) & autor Epist. ad Ebr. loquitur. Dabo legem meam, inquit, in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: Et non docebit ultra vir proximum suum, & fratrem suum. Omnes enim cognoscunt me à minimo usq; ad maximum. Si discere aliquid est, hoc solum videtur esse, nimirum vim insitam aut infusam cælitus crebrioribus, pluribusq; subinde agitationibus exercere, & ut corpus Gymnasia, ita animum contemplandi, cogitandiq; actibus agiliorem perfectioremq; reddere. Socrates in Menone, & alibi, \* negat discere nostrum quicquam aliud esse, quam reminisci, & ad hoc probandum, adolescentem, qui nunquam sub magistro didicerat, producit, & aptis ad quæstiones responsionibus naturâ doctum pronunciat.

\* Vide Phædonem. In Eurhydeme duas significationes verbi DISCERE proponit &c. In Alcibiade i, id scitur, quod quis vel ab alio didicit, vel per se invenit.

Notum est vel vulgo jactatum verbum; legi consules, creari Imperatores; Solum Poëtam & Oratorem nasci ¶ Poëta autem à Philosopho modo fictionis, exornationis, & metro differt.

S. Socrates vult, aut nasci nos doctos aut reminisci, id quod fieri contendit argumento, quia homines rudes rectè interrogati per se respondeant; Et is, qui recordatur, id prius scivit, nosq; multa colligimus ratiocinando ex signis, quæ quasi in memoriam revocamus: & universales quasdam notitias insitas habemus, secundum quas judicainus sensibilia. &c. Aliter in 7. de rep. In clitophonte virtutes dicuntur διδαχαι. In protagona in utramq; partem de hoc est disputatio. In Menone virtus, nec doctrina, nec natura nobis adest, sed influit divinâ sorte absq; mente in eam.

Hinc Cicero non dubitavit dicere, Poëtam naturâ ipsâ valere & mentis viri-

tis viribus excitari, divinog̃, quasi Spiritu inflammari, id quod pri-  
dem in Ione professus erat Socrates ipse, Poëtis divinum quendam furo-  
rem tribuendo; Vnde Ovidius: *Est D E U S in nobis, agitante calescimus*  
*illo &c.* Virtutem non noëticam tantum, verùm etiam Ethicam, aut  
nasci nobiscum, aut divinitus immitti, non autem disciplinâ acquiri co-  
natur Plato demonstrare. Negat Antisthenes; ut, qui didicimus à g̃elū  
ponit. Seneca moderationem adjicit, ut qui studiis liberalibus non acci-  
pere virtutem filios opinatur, sed animos eorum saltem ad capiendam  
præparari, in quam sententiam Horatius artem conjunxit naturæ, & in-  
sistam vim doctrinâ promoveri scripsit. Aristoteles à Socrate in diversâ  
discessit, & non modò discendum esse à puerostatuit, verum etiam, ut id  
præclare & cum salute Reipub. fiat, legislatorem procurare jussit. Ideo  
ōpeξiv quandam, nā ἐπιδυμίας nobis ingeneravit natura, cuius instinctu  
ad sciendum ferimur omnes. Via verò ad scientiam est τὸ μανθάνειν, n̄g̃  
δεωγ̃iv, quod ideo etiam jucundum & expetendum omnibus. Idem nos  
admonent sensus quoq;, & perpetuum discendi desiderium, cusus calo-  
rem ne frigida quidem senectus potest extinguere. Aristotele judice, defi-  
ciente sensu, scientia deficit, nec fieri potest, ut absq; tactu vivat animal.  
Docent apoplecticorum, lethargicorum, Epilepticorum, Syncopticorum,  
& profundè dormientium, quiescente Phantasia quoq; exempla, quan-  
tum percipere possit, & intelligere sine Phantasmatisbus, quæ objecta sunt  
intellectus, homo. Ut sapere posset aliquo adminiculo & principio, etiam  
integrarum virium validâ potestate, radioq; imaginis divinæ plenissima  
coruscans in paradiſo quæsivit mater omnium hominum prima. Secun-  
dum hominem profecit sapientia, & ætate etiam Salvator noster. Post  
paradisum amissam, quid non discere cogebatur parens noster, qui n̄e ve-  
stem quidem suere sibi poterat? Si disciplina non est, ad inane nomen re-  
cudit cum Doctore discipulus, & mundi experientia, communisque sensus  
nondum sibi constat. Vanæ sunt divinæ humanæq; autoritates, & ad di-  
scendum tam seriae, gravesq; invitationes, impulsionesq; severæ. Quor-  
um, queso, opus fuit discendi gratiâ totum penè mundum peragrare pri-  
scos? Sed in re manifesta non indigemus argumentorum copiâ. Ille ipse,

In Euthyde-  
mo senex di-  
citat fidibus.

qui disciplinam reminiscientia introducta evertere studuit, non erubescit, ad mulierem Diotimam discendi causâ venire: non dubitat pronunciarer, paucos esse hominum intelligentiae participes; nec veretur etiam virtutes discipline potestati obnoxias reddere. Tribuit enim artificibus & poëtis vim quandam genitricem animis, ingenioq; inherentem; discipulis autem avidam imprægnari, fœcundamq; naturam cum amore, cuius impulsu conceptus quidam in eorum anima excitetur, unde postea nascantur virtutes, prudentia, sapientia, temperantia, justitia; quarum contraria generantur ab improbis magistris in mentibus eorum, qui se his temere crediderunt, corrumptiq; adultero seminio sunt passi. Persuasum itaq; hoc, & penitus infixum cordibus esto juniorum, esse nimirum facultatem quandam docendi, discendiq; divinitus implantatam naturæ, expressam defectibus, impotentiaque & miseriis vitæ: studiis inventam, exultam experientiâ, firmatamque, & in bonis ordine, autoritateque divinarum humanarumque legum comprobata, quâ non tantum possumus, verum etiam debeamus jam statim à primis unguiculis discere, de Deo, rebusque piis, bonisq;, & ad vitæ usus necessariis doctrinam veram, & subinde crescere eruditione, & augmentum noscendo capere, quantum in hac vita concessum est, donec quod hic inchoavimus, in cœlesti academia perfectionem, complementumque nanciscatur suum. Verum enim verò, cum non tantum opiniones de disciplina sint diversæ, sed etiam viæ variæ, quarum quedam per ambages & dispendia vagantur, nec tam ducunt quò contendimus, quâm seducunt; quedam rectâ nos sistunt regione, & sine errore in arcem scientiæ, quanquam non raro per vepres & spinas, arduosque colles perducunt, quânam sit incedendum, quâm optimè, comprehendiosissimè, facilimèque, non parva est questio. Ne, quæsio expectetis à me, viri Reverendi, nobiles, magnifici, consultique, luculentam de hac orationem, Quid præsens tempus requirat, quidque ferre possint animi, pro vestra sapientia, prudentiaque videtis ipsi. Ut tamen principium quoddam cogitandi, & stimulus in animos juventutis coniiciatur, paucis saltē modos discendi legitimos, illegitimosque attingam, & ab his incipiam, ut patefactis latebris, & signo mercuriali notatis in avium ducentibus viis, semitarecta in conspectum prodeat, omnibusq; se facilem

& expeditam præbeat. Disertum quidem sermonem, & copiosum, floridumq; requirit illustris ille confessus vester; gravem etiam & eruditum Casimiriani illustrissimi autoritas; Sed spero, me ita temperaturum verba, ut nec gravitas illustris elevetur, nec facilitas attentioque vestra fastidio prægravari queat. Ad vos iam, Adolescentes, mea se convertit oratio. Vestrum est in universum scire, nulli permisum, licitum ve esse in agrum istum scientiae, quem à natura ( hanc enim caussam, cur scire desideremus, jucundumq; putemus discere, & contemplari, producunt sapientes ) appetitu & fæcunditate non incommode instructum accepistis, immittere mali & perniciosi seminis projectores, qui etiam, si sponte venire velint, & sementem vitiosam facere, vigilantiæ & alacritate sunt excutiendi, repellendiq;, & omne pravum semen suffocandum, & si quas radices egerit, ea diligentè operâ extirpanda, nec permitendum, ut in herbam fruticescant, nedum ad frugem perveniant, quod certum sit, sic tandem cum fructu suo perire agrum totum. Abhorrebitis ergò à malis magistris, nec eorum consortia, conventiculaq; & circulos discendi causâ adibitis, nisi forte, ut medici solent, etiam venenis cognoscendis operam adhibere, aut, ut Docimastæ Pliniani quorum una ars virtutum profitetur disciplinam; vel, ut Arithmeticæ & Logici ex falsis vera, ex heterogeneis homogenea, ex contrariis malis bona intelligere satagentes; quod tamen vobis nondum judicio confirmatis, magisque luxuriâ ingenii turgentibus, quam prudentiâ gravibus, haud perinde concessum. Et de hoc in genere monuisse breviter, sit satis. Consuevit deinde animos imperitos extollere φιλανθρία quædam pernitiosa, qua sibi quidam persuaderi patiuntur veritatem esse, quod quisque opinatur, § quale paradoxum Anaxagoræ quondam attributum legimus.

§ Plato in Cratyllo : Homo mensura omnium rerum, ut qualia quæq; mihi videntur, talia & sint mihi. De hoc Arist. in metaph.

Itaq; ex seipsis petunt fundamentum doctrinæ, tanquam naturâ sint docti, ad quodvis judicandum absq; magistro, cum se putent sapientes fieri per modum αὐτοδιδαξίας, quem in natura quoque bestiali & sensibus ( nam sine doctore incipimus audire, videre, gustare, clamare, mo-

veri, & cæterapati, & facere secundum naturam demonstrare, haud est difficile. \* Plausibilior hæc persuasio fit commentis Socratis & Pythagoricis τερπι μετεμψυχωσιος.

\* Plato in phædro tales putat ex seipsis investigare Dei sui, id est, planetarum naturam, in quem compellantur summâ attentione aciem mentis dirigere, & quo per memoriam tacto, divinitate afflentur, unde capiant mores & studia, quantum fieri possit.

Narrant Pythagoram (jucunda est fabula: nè pæniteat auscultasse: recensetur autem à Laërtio in vita Pythagoræ) summum illum Philosophorum Pontificem, primumq[ue] gentilitiæ Sapientiæ Papam, omnium, quæ evenirent, sibi scientiam arrogasse. Quâ, id quæso, fiducia? Animam suam dixit esse Aethalidæ filii Mercurii, qui optione à patre impetrasse prohibetur, ut vivus defunctusque omnia sciret. Cum itaq[ue] suo se figemento de transmigratione animarum in alia corpora, solaretur, & quandam istius seriem propagationemq[ue] comminisceretur, quasi quæ Aethalidæ fuisse anima, eadem in Euphorbum Panthoidem concessisset, & hoc à Mene-Lao occiso, irrepsisset in Hermotimum, ex hoc in Pyrrhum pescatorem illum, seu natatorem Delium, qui etiam nunc proverbio; Delius natator innotescit in Scholis, ex quo defuncto Pythagoras ipse suscepisset Spiritum illum erronem: non immerito visus est sibi tantam scientiæ vim assignare. Addunt posteriores ex Pythagora animam istam omnisciari acceptisse Homerum & Ennium, & ante Euphorbum fuisse etiam in pavone, nè aves quoque sint expertes scientiæ, unde fors præter columbas Herodotii ex Aegypto, fabulasq[ue] Chaldaicas Democriti, augurianata, & attention ad voces pecudum, & volucrum, quanquam etiam stirpibus tributatur suscipiendarum ex hominibus animarum potentia. Si quis hoc vel simili modo putat se autodidactov esse, & non indigentem preceptorē, suæ viscientias possidere: videat, nè fabula nimium confidat. Ut enim illud fitum est: ita & hoc, quod apud Platонem in 10. de Repub. & Virgilium in sexto Aeneidos extat, ¶ animas nimirum Palingenesiæ destinatas, à Mercurio, magno agmine ad lethen fluvium evocari, ubi, antequam incipiunt in corpora reverti velle, longa omnium in vita passorum factorumq[ue] potent

potent oblia, quibus haustis, quid juvat gloria, & jactantia illa temeraria  
via animæ Aethalidæ Mercurii filii?

¶ Vide & phœdrum, ubi lex Adraſtiae: Et scribitur annis 10000, non re-  
verti animam in idem, unde est profecta, quia alas citius non recuperet,  
nisi ejus anima, qui sine dolo sit philosophatus, vel una cum studio sapientiæ  
amaverit pulcritudinem.

¶ Ut fias sapiens, de novo descendam est, idq; si non suggestione ex pra-  
cognitis aliquando: certè magistro, qui per manus sibi traditam legitime  
aceperit rerum utilium notitiam. Hæc est concessa, legitimaq; quedam  
anima communicatio, dum per amorem honestum, & studium laudabi-  
le ita agglutinaris præceptor, ut ex duobus animis quasi fiat unus, & in-  
de per doctrinam fidelem in discipulum effigies imprimatur talis, qualis e-  
rat in magistro, tanquam in genitore. Sic mea anima potest in te irrepe-  
re: Sic Eliseus duplum Eliae Spiritum petebat, impetrabatq; ; sic à Mo-  
se transferebatur divinitus in septuaginta judices Spiritus judiciarius  
prudentiæ politicæ. Non latet veteres tropis, figurisq; quibusdam more  
poëtarum & apologetorum luxuriasse. Hi ex virtutibus substantias fece-  
runt, ut DEOS Deasq; perinde, ac ex qualitatibus corpora Stoici. In num, quod  
hominे statuerunt animas plures, adeoque hominem non proposuerunt qualitates  
simplicem. Est enim quidam pecuinus, voluptatum & vitiorum suorum <sup>sint incorpo</sup> amator ; Est rationalis ; Est leoninus ; de quibus Plato multa. Sacrae li-  
teræ quoque veterem & novum hominem, interioremque & exteriorem  
describunt. De hac sermonis figura etiam nunc sic loquuntur Paracelsici,  
ac si in Herode non esset affectus, & astutia vulpina, sed præter animam  
humanam etiam ipsius vulpeculae, quo ipso ostendant se delectari adhuc fi-  
gmentis Pythagoricis & Socratis. Possunt & ex planetis cœlestibus e-  
ius opinionis origines explanari. Dicuntur enim hi miris inter se revo-  
lutionibus agitari, & accessu recessuque mutuo sapientiam, stultitiam,  
fortunam, infortunia & alia excitare. Credunt autem humanas res in cœ-  
lo præludia quedam habere, ut sic in his evenire necesse sit, uti ibi est præ-  
dictum. Hinc ille evocator animarum Mercurius, & deductor : Hinc pu-  
erorum vorago Saturnus : Hinc Veneris, Cupidinisque spicula, qui quas a-  
nimæ

nimas in cælo percussit, et incorpore immissa in amores ferri prona, precipitesque perhibentur. Sed non est, ut in hoc immoremur. Intelligat adolescens avulodidægias superciliosum tumefactus, palingenesian illam Pythagoricam esse similitudinis, non substantia, & reverti in aliquo Homeri animam, si benedicente Deo ex Homero vim poetica hauserit, ut possit simili sapientiæ hominibus prodesse. Sic Christiani spiritum & animam Christi in se per fidem inhabitantem circumgestant, si doctrinam mandataque Christi perceperint, & firmiter custodierint, ut tandem Deus fiat omnia in omnibus.

Qui se nasci fato quodam doctos arbitrantur, alio quodam Socratis mouentur principio. Negabat is infra lunam, in mutabili, instabilique elementorum. & sensuum corporeorum mundo, quicquam esse veri & determinati, id quod postea novi Academicorum arreptum late ampliarunt. Verum autem omne per modum Idearum reapse extra intellectum existentium ad dorsum quoddam cœli, & stellas transscripsit, \* in quo loco tanquam in civitate & patria genuina syncerè, & absque perturbations, cæligeneque sese contemplandum liberaliter & infuscate præbeat.

\* Vide Phædrum de animabus immortalibus, in cœli dorso consistentibus, & intuentibus ea, quæ sunt extra cœlum, in veritatis campo, etc: quæ ex Logicis necessariis & contingentibus sunt ad Theologiam applicata.

Vt itaque animas secum deferre notitiam ejus, non autem in corporibus acquirere, persuaderet, antiquiores eas ergastulo suo seu carcere & sepulchro (Ita enim dictum vult σῶμα, quasi σῆμα, quod in Cratilo vel sepulchrum appellatur, vel indicium à σημαίᾳ) corpore fecit, in quod corpus immersæ, tanquam in specu Platonicum, umbras saltem verorum pridem nudè conspectorum videant, & sic ex obscuro reminiscantur, non autem discant, quinquam cum liberatae vinculis corporeis fuerint, molestiam aliquam inferre dicatur diu desuetus imaginum occursus, ut est in 7. de Rep. apud Platonem. Huce easdem per separationem à corpore aspirare; Et ideo studium Philosophorum omne esse μελέτην τοῦ θαυματορολικῆ differit in Phædone Socrates, & in quinta Tusculanarum de Catione

tone ἀντόχειοι disputans Cicero reponit. Astrologi genethliacorum suorum hic habent assertores, quanquam ad risum quoq; ineptiat Paracelsus stolidus ille Socraticorum imitator, dum cælo affingit Vulcanos quosdam astrales partim magistros, partim discipulos, longis inæqualis scientiæ gradibus disjunctos, qui, pro ut possint, male, bene, ferment inter astra animas, & sic formatas in corpora immittant. Inclinant huc & illi, qui in meditullio sapientiæ regnum sibi vendicantes, non nasci homines secundum animam contendunt, sed hanc per modum irradiationis, aut subitam, fulguris instar, ex cælo delationem immitti pertinaciter asseverant. Sed erudit adolescentes Aristoteles, veritasq; Sacrosancta cum experientia, & ratione conjuncta. Mens nostra à primordio nativitatis vacuæ tabula est instar, ( rasam alii dicunt, id quod Theologicè ad lapsum primum referri potest; alias congruit metempsychosi illi, antequam oblivia sub tartaro potantur à reversuris in vitam animabus ) & potentiam saltem scientiæ, non autem actum secum defert. Stylus inscriptionis est sensus ex parte, ex parte disciplina, & quæ omnium est instar, gratia divinitus illuminans, in aliquibus etiam suggestio Spiritualis per visiones & somnia, aliosq; extra consuetum naturæ ordinem modos, ad quos referas oraculum quoq; per Vrim & Thurnim Ebræorum. Scripturam illustrem reddit, firmatq; crebra meditatio, usus, & experientia. Hinc sapientiæ vox illa solennis: usus me genuit, mater me peperit memoria; quanquam, ut Claudianus; Ingeniosa vias paulatim exploret egestas, atq; artes pariat solertia, nutriat usus; vel ut vulgo dictum: artes paupertas invenit. Sed melius oraculum Sacrosanctum; Sapientia à Deo est; & omne bonum perfectum à patre luminum, qui cum fiducia potentibus non denegat Spiritum scientiæ & intelligentiæ, aliorumque donorum: sed per disciplinæ ordinariæ modum. Omissis itaq; somniis Socratis, & dementatorum hominum vanis promissis, ad hunc veritatis campum se conferat adolescentis Φιλοπαθητις; cibum inveniet verum & genuinum; Ut habet oraculum Zenoni de optima vita instituenda datum, melius est οὐ γχεωτίζεσθαι τοῖς νεροῖς, & pallere, totoque vinum Decembri ignorare, ut Horatius consulit, quam otiosis cogitationibus vanitatis ventum captare. Ita ex

E.

libris

libris sapientum, monumentisque defunctorum, quos fama vivere pronunciabat Iulianus Cardinalis, proficimus. Optimi enim hi sunt, ut Alphonsus loquebatur, consultores, præsertim, si principia sua repetant ab infallibili Scripturæ canonice apud Eccliam autoritate. Hæc enim norma & regula est; Est lapis lydius, ad quem explorandi Spiritus sunt. tam viventium, quam mortuorum. Præter dictas, etiam plures aliae sunt illicitæ scientiarum captationes. Quis enim ignorat, commentitios hominum mente excavatorum receptus, & ensatæ, apparitionesq; spirituum familiarium? Quò, quis succo fumido, nigroq; melancholia magis est delibutus, hoc magis in ista figura fertur, sibiq; rapi in abditâ loca, & cognoscere ineffabilia somniat. Divo Paulo tale quid divinitus accidebat præter ordinem; sed specialis personalis gratia, non est in ordinarium modum commutanda. Dictum supra est de vaticinio Ieremie, quo pæceptores cæteri omnes videntur è medio tolli, solus autem Deus & unitio, Spiritusq; gratia statui. Verum id de primo principio divino, illuminatione spirituali, & docibilitate interpretantur, qui verba Salvatoris, οὐαὶ τοῖς διδάσκοντις θεοῖς, docibiles scilicet Dei, de remotione indurationis & apertione cordium accipiunt. Neq; enim hoc ab hominibus est.\* Legitimum postea ministerium & Scholæ ordinariæ motu Dei, tanquam organa perficiunt: ut Cornelii in Actis exemplo admonemur.

\* Declara ex Es. 33. v. 18. & 22. cap. 34. v. 16. cap. 30. v. 20. 21. cap. 29. v. 14. Neq; enim scribarum somnia, aut philosophorum deliramenta in novo testamento sunt Doctrinæ, sed verbum ex sinu patris delatum per filium Matth. 11. v. 25. 27. Ioh. 1. 18. & cap. 3. 27. &c. cap. 16. v. 15. 1. Cor. 1. v. 17. 18. 1. Cor. 2. 6. 7. 1. Cor. 3. 19. 2. Tim. 3. 14. 15. 16. 1. Pet. 1. 23. 1. Ioh. 2. 27. 1. Cor. II. 23. cap. 15. 3. Gal. 1. v. 1. & 11.

Eruditi à DEO, vel DEI sumus etiam per media legitima, quibus quod discimus, nihilominus non est inventum humanum in sacris, sed filius Dei id cælitus detulit & revelavit. At enim, inquis, vetat Salvator discipulos cogitare, quid sint locuturi coram principibus. ἡ γὰρ ἵμεῖς ( inquit ) ἐξε οἱ λαλῶντες, ἀλλὰ τὸ πνεῦμα τὸ παλεὸς υμῶν τὸ λαλῶν εἰς ἵμην. Agnoscimus liberalissimi sapientiæ veræ largitoris verba, nec nisi cum reverentia amplectimur. Sed tu memineris, Apostolos istos nihil-

mi



minus appellari Discipulos Domini, qui, cum à magistro suo didicerint,  
humanitū quid per oblivionem sunt passi, atq; ideo Dictore Spiritu  
Sancto indigerunt. Quicquid ergo suppeditavit eis Spiritus, id pri-  
mum per modum discipline Apostoli à suo doctore acceperunt, posteaq;  
Spiritu Sancto accepto organis enunciarunt corporeis, non inscii quid  
loquerentur, ut Dæmoniaci solent, sed consciī, utentes simul illumi-  
nata cælitus ratione. Organa fuerunt, non bruta, sed rationalia. De-  
ploratius insaniunt, qui à mortuis exigunt scientiam, necromantiae  
& magicis deliramentis, de quibus abunde Peucerus, ob id studen-  
tes. Putat Paracelsus, licere etiam à Diabolo discere, quia non refe-  
rat per bonum, an malum organum Deus largiatur scientiam. Itaq; &  
probit consultationes magorum, sagarumq;, inspectiones Crystallorum,  
Beryllorum, speculorum, constellatas imagines, homunculos arte educa-  
tos, & hujusmodi plurima. Socrates sibi adjungebat genium quendam,  
prohibentem voce quadam fieri, quæ non oporteret. Iurabat autem per  
canem, quâ specie Cornelio Agrippæ aliisq; adhæsse dæmon fertur. Lepi-  
dum est, quod in Paracelsi archidoxi magicanon sine prægnante persuasio-  
ne legitur. Quod nam illud quæso? Dicam verbo: Turris universi fabulosa;  
vel si mavis, specu magicum, in quo apparent omnia quæ sunt, futura sunt  
& fuerunt. Triā proponuntur ex metallis, aliquando etiam ex cera, char-  
tag; virginea, cum cæli stellati imaginibus, specula. Si quid visum, veb  
oculi iectu velis, intueri primum juberis. Quicquid imaginum & omni-  
um gestorum, quæ visu per effigies, lineamenta, figuræq; aspectabiles per-  
cipi possunt, uspiam per totum mundum existit, statim præstò esse dicitur.  
Si scire cupis literis, etiam secretissimis, ab omni hominum memoria, con-  
cedita, alterum inspicio. Compotem voti spondent. Desideras etiam ea,  
quæ sermone exprimuntur, & intra vestam, inq; Eleusiniis deliberantur  
occultissimis consiliis; oculos in tertium conicere juberis, in quo dicta  
transeunt in scripturam, quæ oculis rem per signa literarum communicat.  
Sanè non nihil est in talibus speculis. Sed illud nec naturale est, nec di-  
vinum, justumq;, cùm totum sit præstigiosum, & magicum, cuius ope  
quidam Romæ inter divos divasq; peregrinabundus. quid domi sibi per

adulterum magum à mæcha uxore pararetur intellectus, & consilio magico mortem sibi intentatam evasit. Tales artes professi sunt Techellus, Artefius, Mihinius, Tritemius, Paracelsus, Agrippa, & plerique ex Platonicis & Aegyptiis, Chaldaicisq; ut nostis. Neg; enim de Zoroastro primo magorum, Iamblichio, Proclo, Democrito, Empedocle, Hespane, Tiridate, & cæteris ignoratis, cum Plinius libro 30. & alibi eos saepius attingat. Non est hæc licita ad scientiam via, ut necea, quam profitetur liber quidam magicus, quem Arbatel vocant, qui dum putat omnia, quæ leguntur, in libris ambigui esse sensus, atq; insuper etiam depravari opinionibus; nec quicquam fidi, certique tribuere potest vivis doctoribus, jubet precibus multis petere Spiritum quendam familiarem, & dæmonem Socraticum, qui doceat omnia, quæ scire cupias tacita inspiratione, & simul monstrat, ubi thesauri lateant, suppeditetq; artem auri, & argenti, gemmarumq; faciendarum. Paracelsus in libro de mysteriis vermium, non sat is potest prædicare serpentes. Est in divinis literis, serpentem fuisse calidissimum animalium terrestrium. Arripit dictum Paracelsus, & bestiæ illi tribuit facultatem, quâ potuerit primos parentes excelsò lumine naturæ donare, & notitiam illis bonorum malorumque communicare, quod ita certum sit, ut hodieq; perhibeat bestias has damnatas, & terræ voranda, ventrique sulcando addictas, vim quandam ad largiendam sapientiam habere. Hinc quidam lingua anguum & viperarum certis sub signis evulsa, & in ore gestata, uti & lapillis hirundinum, aliisque bestiarum partibus ore contentis, aut certo modo applicatis pollicentur sibi notitiam etiam abstrusissimarum rerum, non secus, ac si quis homunculum constellatum, Mandragoram vocant, Alreonem nostri, domi foveret. A Salomone hanc Philosophiam repetunt. Avicenna per imaginationem occultos sensus putavit transferri, & ab altero cognosci posse, quod ipsum etiam magorum est placitum. Deliria vos audire existimatis? Deliria certè; sed quæ non, nisi in lumine divinæ veritatis habitantes, agnoscere consueverunt. Cogitate verò, quanta sit potestas ducis tenebrarum in filios incredulitatis, ut loquuntur Ebræi? Scimus etiam magnos viros, maximè in Papatu istius modi vesaniis occupatos penitus fuisse, adeò, ut se dōtore

Etoe indigere negarent; verum esse, quod sentirent ipsi, vel sine omnirationis judicio ex occulta vi Spiritus. Addunt & characterem ordinis, perperam adducto oraculo Samuelis ad Saulem unctum. Hinc Papæ scrinium, & infallibile de omnibus ex assistente Spiritu, qui tamen aliquando ulula seu stryx fuisse prohibetur, judicium commentitium. Primus gradus ad sapientiam est, vias desipientum nosse & cavere; sicut carentia stultitiae sapientiam definivit Poëta, & fuga vitiorum virtutem. Beati juvenes, qui quæ recensui, pro stultitia habent, ut & alia multa, quæ brevitas causâ intermisit. Quid enim attinet de fabulis pontificalibus, Tandalo somniante, & candelabro Iesuitico verba facere? Quid de traditionibus domesticis, & cantu legum ante literas inventas? Nolumus Anabaptistarum camarinam movere, & in nos monasticos crabrones, spectraque & lemures excitare. Est quidem ordinaria discendi via aliquando conjuncta cum miraculosa & Spirituali, didicitque Moses omnes Aegyptiorum, Salomon Chaldaeorum, ut & Daniel cum sociis, & D. Paulus Ebraeorum artes; Sed excelluit in eis divinum lumen singulari gratiâ collatum, & non per adeptam Paracelsi Philosophiam (quæ & sagax & occulta, continens consecrationes, conjurations, characteres, spectra, visiones, thesaurellam, magiam, & plerasque vanitatis damnatae artes) contributum. Pueris nostris in timore Domini cum oratione & labore, propositæ sunt Scholæ initiales; sunt Gymnasia; sunt Academiæ; sunt Ecclesiæ pulpita; sunt vivi mortuique ad pietatem & virtutem præceptores. Habent Mosen, Prophetas, sinceros doctores, castos, correctosque Philosophos, oratores puros, poetas Sanctos, & in omni genere liberalium studiorum, exercitiorumque antistites selectos, probatosque. His autem accommodent patientem. Innata est animis non planè socordibus & ingavis agilitas quedam, & discursus, variorumque cognosendorum appetitus. Hi exemplo veterum Pelasgorum (quos à vagandi similitudine, quasi τελάργυς hoc est, Ciconias nonnulli dictos autumant) ut Democriti, Pythagoræ, Platonis, Aristippi, Ulyssis, multorum mores hominum, qui vidit & urbes, & cæterorum, discituri relictæ patria, varias terras peragrandum sibi, & per exteræ, easque etiam barbaras nationes vagandū

E 3

arbitran-

Socrates in  
phædro por-  
recto libro  
per totam  
Atticam du-  
ceretur.

arbitrantur, idq; esse philosophari judice Pythagora apud Phliasiorum  
Tyrannum Leontem, ut refert in s. Tuscul. Cicero: In spicere nimirum, quod  
ubivis tanquam in celebri & frequenti mercatu agatur. Spernunt itaq;  
nonnulli, quod in patria & præforibus est, & in toto orbe alienarum gen-  
tium virtutem sapientiamq; semper longius fugientem querunt. Est qui-  
dem aliquid in peregrinatione, § si praesidiis contra falsitatem sis instruens,  
animumq; habeas bene preparatū, obfirmatumq; contra errores: aut si cer-  
tus sis sapientiam alibi, ut olim in populo Israelitico, vigere, nec domi nasci;  
unde etiam Imperator inductus privilegia studiosis concessit liberalia tum  
ad discendum honesta, tūm, quod bene cognitum est, usu ruerū excolendum.

§ Socrates in Critone negatur peregrinationes instituisse more aliorum,  
aut Athenis egressus. In Phaedro scribitur non agros, sed homines nos do-  
cere: quanquam Eremitæ natura erat pro libro.

Sed videndum diligenter, nè foris queras, quod domi est abunde, &  
ne, ut Postellus, pro sapientia referas stultitiam, corruptosq; mores. Non ra-  
rò cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt. Valeat & hic  
oraculum Mosaicum Evangelicumq; de propè existente doctrinâ verâ,  
quâ per DEI gratiam gloriamur. Exemplo ut dicam, vultis? Emporium  
& panegyrin omnis sapientiae cernitis hoc Gymnasium, auspiciis IESU  
CHRISTI ab Illustrissimo Principe & Domino D. IOHAN. CASI-  
MIRO Patre patriæ, Heroe bene merito, & benefactore insigni, magno  
studio, majoribus sumtibus, fervore pietatis, & sapientiae maximo magni-  
ficè extructum. Formam hujus Gymnasii externam, ing frontispicio &  
edium æternæ memoriae Principem & fundatorem signo illustri represe-  
natum videre oculis corporeis potestis: animam vero, quod de virtute di-  
ctum à Platone repetivit Tullius, si nudam conspiceretis, quantopere  
exultaretis? Fiet propediem Deo liberaliter affluente, & sapientiae veræ  
& radios mentes docentium, discentiumq; illuminante, ut quilibet non in-  
gratus bonorum divinorum estimator perspiciat, nihil sine numine &  
lumine omnipotentis institutum fuisse. Equis atq; quadrigis, ut illo Ho-  
rasiano utar, petitis bene vivere? En hic est in Schola & Gymnasio Casi-  
miria-

mirano. En tibi Cathedram ad docendum comparatam; En subsellia  
ad discendum feliciter. En parietes ad ingeminandum doctrinam. Aer  
ipse illuminatus solaribus radiis tacitum sapientiae lumen à Spiritu San-  
cto promittit. Si quid desideras amplius; Nostri vultum clementissimum  
propensissimumq; ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS ET DO-  
MINI Dn. JOHANNIS CASIMIRI. Hic ne potuerit Dei sin-  
gulari instinctu tantum opus concipere, & exornare, nec queat à Spiritu  
Sancto benignè adiutus, quantum in hac humana conversatione fieri de-  
bet. & potest, ad fructum perducere? Non tam aliena est à clementii Illu-  
strissimi propensione, clementissima, benignissimaq; omnipotentis Dei vo-  
luntas ut principia promota quidem, sed fructum retentum cohibitumq;  
velit. Tu, tantum cave, nè contemtu, societatem, ingratitudineq; ad retrahen-  
da sua bona largitorem Deum commoveas. Aspice vero etiam illu-  
strissimæ hujus corona magnates, Virosq; Reverendos, magnificos, consul-  
tos, sapientes, doctos. Quod hi jam Dei beneficio per ordinaria subsidia  
sunt, id te futurum cum Deo sperare potes præsidii in oculum ipsum jam  
incurrentibus licitis, legitimisque. Hic orationibus seriis evocatum,  
præsentem experieris adolescens Deum; Hic principia verae pietatis au-  
res tuas circumsonabunt; hic gentium sapientia tota ad sacros canones  
exactate beabit. Conflue huc juventus Francica; concurre Thuringiaca,  
& quæcumque sapientiae sitim sitis. Musarum hæc est Theocrene Harum  
piis orgiis initialis, si, ut fas, vixeris, invenies, quæ ad τολυμάθειαν  
νη̄ επωειρίαν præclaram facient, teque ad divina humanaq; officia in-  
struent non pœnitendé. Tu Christe fili Dei, qui anno ætatis 12, docto-  
ruisti Doctorum, occupa hanc Cathedram, & Spiritu Sancto tuo illu-  
stra, ut cum tu nos primus docueris, possimus deinde etiam adolescenti-  
am nobis piè concreditam, tibi placente sapientiæ gravem reddere.  
& ad Ecclesiæ salutem, Reiq; publicæ emolumenta feliciter  
informare, juxta promissionem præsentiae tuae, qui  
vivis & regnas in æternum,

A M E N.



1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100  
101  
102  
103  
104  
105  
106  
107  
108  
109  
110  
111  
112  
113  
114  
115  
116  
117  
118  
119  
120  
121  
122  
123  
124  
125  
126  
127  
128  
129  
130  
131  
132  
133  
134  
135  
136  
137  
138  
139  
140  
141  
142  
143  
144  
145  
146  
147  
148  
149  
150  
151  
152  
153  
154  
155  
156  
157  
158  
159  
160  
161  
162  
163  
164  
165  
166  
167  
168  
169  
170  
171  
172  
173  
174  
175  
176  
177  
178  
179  
180  
181  
182  
183  
184  
185  
186  
187  
188  
189  
190  
191  
192  
193  
194  
195  
196  
197  
198  
199  
200  
201  
202  
203  
204  
205  
206  
207  
208  
209  
210  
211  
212  
213  
214  
215  
216  
217  
218  
219  
220  
221  
222  
223  
224  
225  
226  
227  
228  
229  
230  
231  
232  
233  
234  
235  
236  
237  
238  
239  
240  
241  
242  
243  
244  
245  
246  
247  
248  
249  
250  
251  
252  
253  
254  
255  
256  
257  
258  
259  
259  
260  
261  
262  
263  
264  
265  
266  
267  
268  
269  
270  
271  
272  
273  
274  
275  
276  
277  
278  
279  
280  
281  
282  
283  
284  
285  
286  
287  
288  
289  
290  
291  
292  
293  
294  
295  
296  
297  
298  
299  
300  
301  
302  
303  
304  
305  
306  
307  
308  
309  
310  
311  
312  
313  
314  
315  
316  
317  
318  
319  
320  
321  
322  
323  
324  
325  
326  
327  
328  
329  
330  
331  
332  
333  
334  
335  
336  
337  
338  
339  
339  
340  
341  
342  
343  
344  
345  
346  
347  
348  
349  
349  
350  
351  
352  
353  
354  
355  
356  
357  
358  
359  
359  
360  
361  
362  
363  
364  
365  
366  
367  
368  
369  
369  
370  
371  
372  
373  
374  
375  
376  
377  
378  
379  
379  
380  
381  
382  
383  
384  
385  
386  
387  
388  
389  
389  
390  
391  
392  
393  
394  
395  
396  
397  
398  
399  
399  
400  
401  
402  
403  
404  
405  
406  
407  
408  
409  
409  
410  
411  
412  
413  
414  
415  
416  
417  
418  
419  
419  
420  
421  
422  
423  
424  
425  
426  
427  
428  
429  
429  
430  
431  
432  
433  
434  
435  
436  
437  
438  
439  
439  
440  
441  
442  
443  
444  
445  
446  
447  
448  
449  
449  
450  
451  
452  
453  
454  
455  
456  
457  
458  
459  
459  
460  
461  
462  
463  
464  
465  
466  
467  
468  
469  
469  
470  
471  
472  
473  
474  
475  
476  
477  
478  
479  
479  
480  
481  
482  
483  
484  
485  
486  
487  
488  
489  
489  
490  
491  
492  
493  
494  
495  
496  
497  
498  
499  
499  
500  
501  
502  
503  
504  
505  
506  
507  
508  
509  
509  
510  
511  
512  
513  
514  
515  
516  
517  
518  
519  
519  
520  
521  
522  
523  
524  
525  
526  
527  
528  
529  
529  
530  
531  
532  
533  
534  
535  
536  
537  
538  
539  
539  
540  
541  
542  
543  
544  
545  
546  
547  
548  
549  
549  
550  
551  
552  
553  
554  
555  
556  
557  
558  
559  
559  
560  
561  
562  
563  
564  
565  
566  
567  
568  
569  
569  
570  
571  
572  
573  
574  
575  
576  
577  
578  
579  
579  
580  
581  
582  
583  
584  
585  
586  
587  
588  
589  
589  
590  
591  
592  
593  
594  
595  
596  
597  
598  
599  
599  
600  
601  
602  
603  
604  
605  
606  
607  
608  
609  
609  
610  
611  
612  
613  
614  
615  
616  
617  
618  
619  
619  
620  
621  
622  
623  
624  
625  
626  
627  
628  
629  
629  
630  
631  
632  
633  
634  
635  
636  
637  
638  
639  
639  
640  
641  
642  
643  
644  
645  
646  
647  
648  
649  
649  
650  
651  
652  
653  
654  
655  
656  
657  
658  
659  
659  
660  
661  
662  
663  
664  
665  
666  
667  
668  
669  
669  
670  
671  
672  
673  
674  
675  
676  
677  
678  
679  
679  
680  
681  
682  
683  
684  
685  
686  
687  
688  
689  
689  
690  
691  
692  
693  
694  
695  
696  
697  
697  
698  
699  
699  
700  
701  
702  
703  
704  
705  
706  
707  
708  
709  
709  
710  
711  
712  
713  
714  
715  
716  
717  
718  
719  
719  
720  
721  
722  
723  
724  
725  
726  
727  
728  
729  
729  
730  
731  
732  
733  
734  
735  
736  
737  
738  
739  
739  
740  
741  
742  
743  
744  
745  
746  
747  
748  
749  
749  
750  
751  
752  
753  
754  
755  
756  
757  
758  
759  
759  
760  
761  
762  
763  
764  
765  
766  
767  
768  
769  
769  
770  
771  
772  
773  
774  
775  
776  
777  
778  
779  
779  
780  
781  
782  
783  
784  
785  
786  
787  
788  
789  
789  
790  
791  
792  
793  
794  
795  
796  
797  
797  
798  
799  
799  
800  
801  
802  
803  
804  
805  
806  
807  
808  
809  
809  
810  
811  
812  
813  
814  
815  
816  
817  
818  
819  
819  
820  
821  
822  
823  
824  
825  
826  
827  
828  
829  
829  
830  
831  
832  
833  
834  
835  
836  
837  
838  
839  
839  
840  
841  
842  
843  
844  
845  
846  
847  
848  
849  
849  
850  
851  
852  
853  
854  
855  
856  
857  
858  
859  
859  
860  
861  
862  
863  
864  
865  
866  
867  
868  
869  
869  
870  
871  
872  
873  
874  
875  
876  
877  
878  
879  
879  
880  
881  
882  
883  
884  
885  
886  
887  
888  
889  
889  
890  
891  
892  
893  
894  
895  
896  
897  
897  
898  
899  
899  
900  
901  
902  
903  
904  
905  
906  
907  
908  
909  
909  
910  
911  
912  
913  
914  
915  
916  
917  
918  
919  
919  
920  
921  
922  
923  
924  
925  
926  
927  
928  
929  
929  
930  
931  
932  
933  
934  
935  
936  
937  
938  
939  
939  
940  
941  
942  
943  
944  
945  
946  
947  
948  
949  
949  
950  
951  
952  
953  
954  
955  
956  
957  
958  
959  
959  
960  
961  
962  
963  
964  
965  
966  
967  
968  
969  
969  
970  
971  
972  
973  
974  
975  
976  
977  
978  
979  
979  
980  
981  
982  
983  
984  
985  
986  
987  
988  
989  
989  
990  
991  
992  
993  
994  
995  
996  
997  
997  
998  
999  
999  
1000

ZC 3787

f

ULB Halle  
004 958 349

3





V017

Ma







**TIFFEN® Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black